

M 11
3.27 58.
24

D. I.
AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII
DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI
DE
DISCRIMINE
DEMONSTRATIONVM
ET CONSTRVCTIONVM
GEOMETRICARVM ET
MECHANICARVM

PRAESIDE
IOAN. FRIDER. VVEIDLERO
INFER. MATHEM. PROF. ORD.

PUBLICE DISSERET
SAMVEL GOTTLIEB RICHTERVS
FINSTERVALDA-MISNICVS
PHIL. ET THEOL. STVD.

A. cIɔ Iɔ cc XVII. D. XXI APRIL

VITEMBERGAE,
LITERIS SAMVELIS CREVSIGIL.

1777

**ILLVSTRISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO
COMITI AC DOMINO
DOMINO
HENRICO GVILELMO
SAC. ROM. IMP. COMITI
DE SOLMS**

DYNASTAE MVNZENBERGAE, VVILDEN-
FELS, SONNENVVALDAE ETC. ETC.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

ILLVSTRISSIME EXCEL-
LENTISSIMEQVE
COMES
DOMINE GRATIOSISSIME

Annus praeteriit, ex quo optatiſ-
ſima felicitate uſus, et in Tuum
ILLVSTRISSIME DOMINE,
conſpectum admissus, coram, admi-
rabi-

rabiles illas, quarum splendore coru-
scas, uirtutes, easque inter praecipue
clementiam singularem, et uultus gra-
tiosi comitatem ueneratus sum. Ex
eoque tempore nunquam non de of-
ferendo iustissimae meae ueneratio-
nis et cultus constantissimi indicio co-
gitaui. Iamque tandem exequendi
propositum aliquam uideor adeptus
facultatem et occasionem, cum ali-
quot a me, ex cathedra academica
uulgatae defensae quae pagellae, in
lucem publicam exeunt. Has igitur,
quantumuis leuissimas, ad Tuos,
EXCELLENTISSIME COMES,
pedes deponere sustineo, spe plenus
certissima, fore, ut non tam scriptio-
nis propositae tenuitatem respicias,
quam potius dicantis TVAMQVE in
clientelam dati hominis pietatem, lu-
mine

mine gratioſo colluſtres, porroque in-
dulgentiſſimo Tuo praefidio, me
meaque ſtudia iuuare non dedigneris.
Interea praepotens Numen ſinceris
ſollicito precibus, ut TE, Maecenas Gra-
tioſiſſime, quam diutiſſime ſoſpitem
conferuare, fluentibusque ad uotum
rebus ſecundiſſimis abunde cumula-
tum nullo non tempore beare uelit.
Haec uotorum ſumma eſt

TVAE ILLVSTRISSIMAE EXCELLENTIAE

Dab.
Vitembergae cl̄ I ccc XVII.
Prid. Non. Apr.

humillimi Clientis
S. G. RICHTERI

DE
DISCRIMINE DEMONSTRATIONVM
CONSTRVCTIONVMQVE GEOMETRI
CARVM ET MECHANICARVM

I.

Vanti, in disciplinis tractandis, momenti res sit, uera a falsis, certa a probabilibus, euidentia denique ab obscuris, diserne-re, nullum latere potest since-rum ueritatis cultorem. Laudan-daque est uehementer eorum in-dustria magistrorum, qui in do-trinarum suarum explicatione, genera propositionum nunc memorata accurate di-
stinguunt, nec admittunt ulla dubiis obnoxia prin-cipia, ut omnia apte in scientiae elegantem formam coalesceant. Laudem autem illam, quae sane omnium, quibus ueri indagatio curae est, consensu, exi-mia censebitur, potissimum hucusque sibi vindicare potuisse tractationes disciplinarum mathematicarum rite institutas, harum gnari rerum ni fallor, facile lubentesque largientur. Neque possunt non illam suo-rum capitum dignitatem praestantiamque tueri, postquam methodum, quae, ad uerum euidentius cognoscendum et demonstrandum, accommodatis-sima est, ita sibi delegerunt, et pene suam fecerunt, ut, quasi praerepta aliarum scientiarum doctoribus, propria mathematicorum dici dudum meruerit. Mi-

nime enim sufficientes afferunt rationes , qui methodum hanc mathematicorum omnino propriam existere , nullique alii scientiae applicari sine incommodo ac confusione posse, contendunt: imo quorum nonnulli eo usque progrediuntur, ut affirment, diuersem ratiocinationum in demonstrationibus mathematicis , atque in aliarum ueritatum ostensionibus, conditionem spectari. At uero utrumque et planissime euinci, et simul dissentientium dubiolis occurri facili negotio posse, uidetur. Nimirum, cum tota, quam obseruant mathefeos magistri, tractationis lege, id ubiuis curate agatur, uti loco principiorum aut natura cuiuis, ratione sua recte utenti, manifesta axiomata, aut aliae ex ratiociniis legitimis deductae propositiones supponantur, atque evidentiae perfectae obtainenda ergo, uocum ac terminorum omnium, liberata a molestiis, et summe in ueritatis indagatione et diiudicatione noxiis, aequi uocationibus, explicatio semper praemittatur, denique uti ex principiis illis ac ueluti fontibus, iusto ordine copiosissima ueritatum series deducta prodeat; apparet clarissime , communem planeque naturalem hanc uiam esse, redigendi in ordinem ueri positio-nes, et ex datis nouas alias colligendi. Quanquam autem dantur capita doctrinarum, in quibus difficultior est principiorum infallibilium, definitionum manifestarum et numeris suis absolutarum selectus, quaeque adeo ob illas difficultates morantur, et molestiorem reddunt, methodi nunc commendatae applicationem, connitendum tamen summo erat studio, ut, cum fructus et utilitas ex illius usu speranda, in
aprico

aprico sit, cum praeceentes habeant in disciplinis mixtae matheſeos geometras, experientur quoque alii tam commodam tamque opportunam translationem. Multa ſane fuerunt in matheſi mixta, quae primum obſeruata uel coniectata uix ueri ſpeciem habere uidabantur, quae ſaepius deinceps excuſſa, uariisque tentata modis, tandem demonstrationibus confirmari et corroborari potuerunt. Cum autem id omnino inficiari haud queant illi, qui conuisionem ex methodi mathematicae uſu oriundam tam enioſe metuunt, alia ratione et ſuam theſin confirmari et methodi noſtrae existimationem imminui poſſe arbitrantur, ſi ipsae demonstrationes imperfectionum et uitiorum accuſentur. Aiuunt igitur ſenſualeſ illas eſſe, non ideis, nec ſyllogiſmo, ſed figuris ac ſchematiſmiſ uti. Sed contra geometricae explicationis indolem ita ſtatuunt. Scilicet non poſtremae alias utilitatis iudicata fuit, geometrarum, a rebus ſenſui ſubiectis, accurationemque legis et demonstrationis mathematicae reſpuentibus, abſtractio, et abſtractarum affectionum, auxilio intellectus puri, procul omni materia, uifcepta conuideratio. Dum nimirum longitudinem ſine latitudine, punctum omnis expers quantitatis, et terminum longitudinis, aliaque ſimilia contemplantur, eumque tantum in finem tam exacte definiunt, ut ſeparatam a materia quantitatē et eius naturam dimensionemque felicius ac certius affequantur. Cum adeo in pura matheſi, quanta poſteſ fieri diligentia, applicatio harum rerum ad materiam, adeoque etiam adiuta ſenſibus conuideratio, uitetur, mirum eſt, ſenſualeſ poſſe uocari

cari geometrarum ostensiones, imo, prae ceteris hoc
insigniri nomine, et ab idealibus studiose distingui.
Sed dicuntur et obiciuntur haec omnino facilius,
quam probantur. Theorema enim, quod huc refertur
pythagoricum, quodque dicitur meras habere cir-
cumstantias sensuales, quae sua multitudine intelle-
ctum nostrum turbent, demonstrationemque longam
et impeditam efficiant, potius aduersam dissentien-
ti thesin comprobant. Negamus dari hic circumstan-
tias sensuales. Nam triangulum rectangulum sine no-
strorum ope sensuum a mente potest fingi, quadra-
ta posunt procul sensibus intelligi suis lateribus im-
posita, denique ipsa demonstratio non indiget sen-
sibus, sed omnia intellectu puro peraguntur et often-
duntur; figura, quae pingitur, in sensu quidem incur-
rit, sed tamen est ideae mentis nostrae quasi um-
bra et symbolum, quod imaginatuum facultatem
mouere melius, eandemque uiuidius afficere de-
bet. Nam et illud est notandum, omnem pene no-
stram cognitionem idealem et intellectualem mul-
tum per ea iuuari subsidia, quibus imaginatio exci-
tatur et firmatur, idque haud dubie ob mentis inti-
me cum corpore copulatae nexum commerciumque
cum ideis sensualibus. Itaque admittere non possu-
mus tantum nostrarum ab idealibus ratiocinationibus
discrimen. Nam et in his ex una propositione elici-
tur alia, quod, quia constanter serioque negatur, non
erit abs re uno, quod omnes intelligent, exemplo
monstrarre. Ostensurus, contiguos angulos supra u-
nam rectam constitutos, duobus rectis aequales esse,
posita definitione anguli recti et contigui, nec non
diametri

ametri arguit; 1. quod, si in linea recta assumatur centrum alicuius circuli, describaturque ille ipse circulus, linea recta et eius continuatio re praesenter diametum. 2. inde uicissim sequitur, arcum circuli totum, qui supra unam rectam duci potest, assumto in illa centro, esse semiperipheriae aqualem: 3. cum autem semi peripheria simul et angulis contiguis, quorum crura in uno puncto centri coeunt, et duobus rectis respondeat, 4. cum anguli, quorum mensurae sunt aequales, ipsi aequales sint, manifestum est, contiguos super una recta duobus rectis aequi pollere. Quis igitur dubitet, in his et aliis demonstrationibus, ex una propositione colligi alteram? Ufus sum exemplo simplicissimo, et tali, in quo capiendo nullo schematismo, nulloque sensu auxilio opus est. Cetera, quae obiciuntur, parum habent ponderis. Nam et syllogismos, contra ac statuitur a dissentiente, hoc loco enthymematicos necti, et idearum comparationem cum aliis, pro affirmativa uel negativa inferenda, colligi, omnique ex parte legitimi ratiocinii legibus satisficeri, palam esse existimo. Progrediar itaque ad ea, quae in nuper edita physica diuina idem eruditissimus auctor cuius hactenus sub examen uocauit argumenta, attulit in supplementum eorum, quae in tractatu de sensu ueri et falsi contra mathematicos disputare cooperat. Euincere autem nititur, e diametro, quod dicitur, distare ratiocinationem philosophicam et mathematicam. L. quia a sensione haud ducunt initium, sed a possibiliitate. intelligimus ex his, auctorem, qui antea sensuales defenderat mathematicorum ostensiones, qui eas idea-

idealibus et uerbalibus studiose opposuerat, uictum a ueritate, secum ipsum pugnare, et iam dare lubentem id, quod supra et desiderauimus, et nostris demonstrationibus vindicauimus. Iam uero, utrum circa solum ens possibile uersemur in doctrinis nostris, uidendum est. Consideramus, in abstracto, ut loquimur, numeros, cumulos nempe unitatum, contemplamur lineas, siue solam extensionem in longum, nec non diffusionem extensionis in longum et latum etc. Haec uero realia esse entia, non tantum possibilia, certum est: re ipsa enim existunt unitatum, seu plurimum rerum, quarum singulae unitatis loco habentur, cumuli, datur quoque, naturaque sua a reliquis dimensionibus differt, longitudo: cetera pleraque, re ipsa pariter existunt, sine omni mentis nostrae operatione, sunt ergo, ni fallor, entia realia, seruata notissima realitatis definitione metaphysica. Iam uero his obiectis inhaeret abstractae matheseos consideratio. In mixtis siue applicatae matheseos capitibus, ubi itidem entia uera adiunt et realia, corpora nimirum naturalia et eorum modi, minus est dubium, mathematicos non circa possibile, sed uerum et reale quantum, occupari, priorque adeo differentia his ipsis erit sublata. 2. Alteram collocat in definitionibus, quod causas non commemorent, quodque tantum possibilitatem respiciant, quod item uerae aequae ac falsae admittantur. Verum distinguenda erat definitio nominalis, qua solum characteres cuiusvis rei necessarios colligimus, a reali, quae modum generationemque rei definitae tradit: in hac causae minime negliguntur, in nominalibus, quia describentis arbitrio reli-

relictæ sunt, et ab eius impositione ut plurimum pendent, non desiderantur. Conf. *D. de Tschirnhausen*, Med. ment. p. 67. sq. fieri etiam potest, ut in mixtis conceptus aliquis, de re quapiam soueatur non omnino perfectus, uel etiam talis, de quo, post captam experientiam et inuestigationem exactiorem aliter est statuendum, sed illa physica sunt, quae sensim proprius ad ueritatem admouentur, id tamen interea admittendum est, quod, methodo ac principiis matheseos adhibitis, multum illa capita scientiarum iuuentur et amplificantur. 3. Diuisiones, ubi totum nobis genus, partes uero species existunt, tantam, quanta quidem iactatur, differentiam in ratiocinia inferre non possunt. Denique et axiomata non merentur acculari: nam sunt talia, qualia scopo conueniunt, falsa autem quaedam in aliis existeret, nullibi fuit comprobatum. Rohaltii principium memoratum, quod omnis mutatio sit a causa externa, minime est mathematicum, sed physicum: et posteriori sensu utique uerum, nihil a seipso mutari: bombycis mutationes in contrarium prolatae, huc non pertinent: nam intra uermem quidem sunt causae proximae mutationis, coloris, formae, magnitudinis, (*) sed quatenus in partes mutandas agunt succi, quorum motus cuncta producit, eatenus causae sunt mutationum externæ. Interea tamen non inficior, quaedam a mathematicis ponи principia, quorum applicatio alibi potest fallere; sed id euenit non uitio axio-

B

ma-

(*) De quibus elegantissime in peculiari dissertatione epistola ad Societ. Reg. Lond. egit *Marcellus Malpighius* Tom. II. Opp.

matum uel principiorum , sed culpa materiae cui adhibentur ineptioris. Quod ad conjectaria attinet, illa ex praemissis necessario fluunt, haec igitur, si, uti in pura matheſi, bene ſe habent, iſta quoque neceſſario ſibi conſtant : Si uero hypothetica quaedam ex nondum certis deriuaueris, quorum exempla in matheſi applicata quamplurima dantur, tum non de conclusionis , ſed de praemissae emendatione eſt la- borandum. Ceterum, quod et philosophi conjectaria non ſemper ex infallibilibus deducant fontibus, ſed multoties admittant hypothetica, nemo ignorat; adeoque rurſum iſta diſtentia conjectariorum eu- nescit.

II.

Satis autem de iſpis demonstrationibus, et ea- rum conſensu cum ſanac logices principiis generatiſ disputatum eſt, accedam igitur ad rem, et in prin- cipio exponam ueras appellationum, quibus utimur, noſtiones. Scilicet τὸ μηχανὴν, ἀπὸ τῆς μηχανῆς ſive ab instrumento deriuatum denotat (1) omne illud, quod auxilio instrumenti artificioſe fuſcipitur, ſpeciatimque in matheſi demonstrationes dicuntur me- chanicae, in quibus, adhibito instrumento, quaſi ad oculum ueritas propositionis declaratur, conſtructio- nes uero ſive effectioſes, ſunt praxes, quae itidem inſtrumento quodam compendioſe exhibentur: et huic ſpectat integra disciplina mechanica, quae pars matheſeos iam antiquiſſimis temporibus a Geminō, Proclo teſte, Comm. in Eucl. L.I. p.ii. fuit conſtituta: haec enim uel circa inſtrumenta, eorum con- ſtructionem et effectus horumque cauſas occupa- tur,

tur, docetque, quomodo vires organis incredibili-
ter amplificantur, uel generalius comprehendit omnes
illae doctrinas, quae consistunt in applicationibus
matheseos purae, ad motus in corporibus aut pro-
ducendos aut modificandos, ut loquitur *Rob. Boyle*
de *Vtil. Philos. Experim. Exercit. VII.* p. 499. Quo-
niam uero rudiores sunt ostensiones et operationes,
quae instrumentis fiunt, utpote quae nunquam tam
exactam, qualis quaeritur, definitionem desideratae
quantitatis possunt assequi; hinc (2) quandoque apud
mathematicos omne id quod rudiſculum, quod mi-
nus accuratum est, quod nullas unde deducatur,
agnoscit demonstrationes et ueritates fundamentales
mechanicum dicitur. Conf. *Cartesii Geom. L. II.* p. 18.
uel ut *Wallisius Mechan. c. I.* loquitur: mechanice fa-
ctum dicitur, quando rudi *χειρογεγγία* uel materialis
instrumenti applicatione aliisque mediis metimur ali-
quid non *ἀποδεικτικός*. (3) Mechanicae quoque iam
olim a ueteribus geometris certi ordinis lineae cur-
uae uocatae sunt, omnes nempe praeter rectam et
circulum adeoque et conicae et reliquae superiorum
generum. (*) Vbi *Cartesius I. c.* existimat, rationem
huius appellationis non inde esse repetendam, quod
ueteres intelligerent, instrumenta, quorum auxilio
omnes, praeter rectam et circulum lineae, describan-
tur

B 2

(*) Quam sententiam omnes quoque sequiores mathematici us-
que ad Cartesii aetatem ratam habuerunt: unde etiam *Vieta*
Menechmi resolutionem problematis Deliaci, per intersectio-
nem duarum parabolae, uel parabolae et hyperolae, non
geometricam et mechanicam, iudicauit. conf. *euclid. Apol-*
nius Gallus. c. I. et *responsor. de rebus mathem. Lib. VIII*

tur, minus posse parari exacta, quia existunt magis composita; sed, quia, antequam alias lineas curvas nouissent, prius occupati fuerant in contemplatione spiralis et quadraticis, quas cum uere mechanicas esse animaduerterent, ideo quoque postea repertas eodem nomine cupiebant insignitas, quamuis natura sua multo essent laudatis curuis potiores. Ipse nihilominus Cartesius, in discrimine linearum curarum constitudo, appellationem illam seruavit, et simul paulo ampliorem geometricarum classem effecit. Nimirum, cum per geometriam intelligat scientiam, quae generaliter mensuras omnium corporum cognoscere docet, cumque illam, auxilio analyeos speciosae, illustrare, et calculo literali adhibito linearum naturas certis complecti aequationibus allaboret, nominatas illas cupit geometricas, quarum omnia puncta, ad omnia lineae rectae puncta, certam habent relationem, quae exprimi potest per aliquam aequationem indifferenter se, ad omnia utriusque lineae puncta, extendentem: uti interpretatur *Schootenius* in Comm. ad L. II. p. 167. Mechanicas itaque omnes, quae inter praedictas non comprehenduntur ex geometria excludit, nimirum tales, quae per continuos motus describi nequeunt, et ubi posteriores a prioribus non dependent, sed per duos motus describi concipiuntur, qui sunt a se inuicem distincti, nullamque relationem sequuntur, quae possit exacte mensurari, siue quarum omnia puncta ad puncta lineae rectae relationem non habent, quaeque adeo per aliquam aequationem omnibus communem exprimi non potest. At uero neque sic satatis

tis perfecte constitutum esse discrimer curuarum, partim ex definitione geometriae superius data elucet, et satis quoque est hodie a recentioribus analysitstis demonstratum. *Leibnitius* duo itidem ponit genera curuarum, algebraicarum nimirum et transcendentium : illarum natura per aequationem certi gradus potest declarari. V. Act. Erud. A. 1684. p. 866. hae uero talem aequationem respunt. suntque spiralis logistica, archimedea, logarithmica, Cyclois, quadratrix, linea Sinuum, tangentium, secantium. Omnes uero hae ad megethometriam pertinent, adeoque uix nunc probare possumus, ueterum et Cartesii distinctionem in Geometricas et mechanicas, nam reuera tota curuarum infinite uariarum cohors, intra doctrinae, de magnitudine in uniuersum praecipientis, ambitum, continetur. Ut autem curuae rite distinguantur, secundum mentem recentiorum certa constitui solent genera ac certae familiae earundem, quae pro diuersitate graduuum uel dimensionum, ad quas aequationes, pro natura curuarum definita, factae, extolluntur, differunt. Qua quidem distinctione, quae analysi speciosae debetur, nihil, ad discrimen accuratius definitum, potuit accommodatus aptiusue excogitari. Conf. *I. Newtoni* Enumeratio linearum tertii ordinis, sub init. quae iuncta est editioni Optices eiusdem latinae. (*) De-

B 3 nique

(*) De alia τοῦμεχανικοῦ appellatione quae nonnullis ueerum probatur ; et qua μηχανικούς non solum nominabant μηχανοὶ siue machinarum confectores generatim, sed eos quoque omnes, qui admirationem pariunt, quique nouerant σφαιροποιίας confidere, a quibus imago coeli construitur per aequalem et circularem aquac motum, dicere nihil attinet,

nique (4) non omittenda est significatio, quae apud naturalis scientiae magistros usu obtinet. His enim mechanica audit phaenomenorum explicatio, quando omnia ad leges motus, nexumque causarum, naturalium referuntur, ut rationes experimentorum ordine euidenterque inde deducantur. At uero dum quoque monitum a doctissimis uiris est, egregia quidem iactari a quamplurimis, pauca uero debita accurratione praestari, etiam ab iis, qui nil nisi mechanismum naturalem in ore habent. placetque mihi uehementer excellentissimi Dn. Confil. *Heucherii* distinctio, quam in pererudita diff. de mechanicis non mechanicis, attullit ubi alias nominales, alias historicos, alias reales esse obseruauit. Non enim sufficit, fingere pene innumeratas, quae phaenomenis explicandis inferuant sententias ac hypotheses, et imaginari sibi qualemque effectuum originem, multa de partium figura, situ, motu, mutationeque et simibus, proferre in medium, et de iis in utramque partem diliguisse, sed definiendae erant rationes experimentorum, ex naturae ac motus legibus, quod quam saepenumero difficile sit, satis opinor, iam notum est. Cartesius, qui prae ceteris affectauit hanc mechanismi in physicas curate obseruati laudem, quot non ille ex suo ingenio commentus est explicationum adminicula, quot materias mouentes et πυλωμέφους? sed si nexum examinaueris et pensitaueris melius, patet, non utique realis semper mechanismi explicationem, ab ipso subministrari. Interea tamen non peni-

uideatur tamen de ea *Pappus Lib. VIII. Collectionum Mathem. add. Dan. Lipstorpii Copernicus rediuiuas, in praefat.*

penitus a fictionibus hypotheticis, in scrutatione causarum naturalium, quae phaenomenis conueniant, videatur abstinendum, modo mechanicus nexus habeatur ante oculos, atque curetur, ut apte cuncta satisfaciant naturae effectibus. Tametsi enim eiusmodi demonstrationes mechanicae hypotheticae non omnino uerae dici censerique possint, quanquam adhuc imperfectae sint, uiam tamen nonnunquam ad ueriorum et certiorem cognitionem caularum pandunt. Praeclareque iudicat *Franc. Bacon Verulamius Lib. II. de Augm. Scient. c. 2. p. m. 47.* inquiens : Statuo, historiae mechanicae usum erga philosophiam naturalem esse maxime radicalem et fundamentalem : talem intelligo philosophiam naturalem, quae non abeat in fumos speculationum subtilium, aut sublimium, sed quae efficaciter operetur ad subleuanda uitiae humanae incommoda. Neque enim ad praefens tantum iuuabit nectendo et transferendo obseruationes artis in usum aliarum, et inde nouas commoditates eliciendo, quod necesse est fieri, cum experimenta diuersarum artium in unius hominis obseruationem et considerationem uenient, sed porro ad causas indagandas et artium axiomata deducenda, lucidorem facem accendet, quam hactenus unquam affulxit etc. ex quibus quidem potissimum uerba ultima ad praefens institutum, et mechanicae cultus philosophiae utilitatem spectant. Nondum possum finem huic digressioni imponere, sed quia etiam mechanicae demonstrationes in physicis ut plurimum explicata per mathefin Statices fundamenta supponunt, ostendam paucis, quod mechanismus ille mathe-

mati-

maticus in physicis, quem aliqui recentiorum tanto conatu impugnant, eliminatumque penitus ex naturali scientia cupiunt, nec naturae sit contrarius, nec animum inclinet ad atheismum. Pro priori confutando non multum est laborandum, sed exposita tantum mechanismi natura, facile apparebit falsitas propositionis. Nimirum mechanismus naturalis fundatur in meritis ex naturae ipsis phaenomenis collectis et obseruatis motus legibus uniuersalibus, quatenus nempe eadem specialibus adhibentur experimentis et casibus, ut intelligamus, utrum cum ordine legibusque, quas Deus uniuersitati huic rerum, omnibusque, quae in illa actionibus certis semet exserunt, materiis uel corporibus posuit, consentiant, et secundum causarum, effectus quosdam producentium, nexus et consecutionem cueniant. Ita dum quaestio est, quam ob rationem animalia sub antiae campana, exhausto crassiori aere repente expirent, mechanicam explicationem sequentem affери posse arbitror. 1. Corpora animalium, quae pulmonibus aerem atmosphaericum hauriunt, quae cibis eodem repletis uescuntur, ab illo ubiuis peruiduntur idemque aer cum succis uitalibus confunditur ac permiscetur. 2. aer uero ille crassus est etiam elasticus. 3. exserit elaterem, quando ab aeris circumiecti pondere liberatur, 4. idem quo minus in animalium agat corporibus, plane nihil obstat, unde subtracto externo, cum non subito exhalarē, atque per patentes ruere portas possit, saltem, quia nullam patitur amplius externi aeris resistentiam, expandetur, multumque amplificabit corporis totius uasa, in qui-

quibus coagmentatus haeret, uasa autem nimiam diductionem passa rumpuntur, rupta uitales latices profundunt, his profusis uita cum halitu efflatur. Si igitur pro effectibus naturae, sive iis, quae in sensu nostris incurunt, actionibus, explicandis, simili methodo procedatur, aptae nascentur consentaneaeque experimentis explicationes mechanicae; itaque euader physica nostra scientia rationalis; nihilque committetur in demonstrationibus, quod sit diciue possit naturae contrarium. Quod enim aiunt dissentientes, principia physices esse diuina, non naturalia, quia dantur talia phaenomena, quae nulla arte explorari cognoscique possunt; quae si secundum naturam euenirent, deberent etiam qua minimas circumstantias posse comprehendendi, sane nondum euincit illam propositionem. nam, quamuis motus mutationisque in rebus omnibus principia et causae a sapientissimo et summo datae sint Opifice, qui suis cuncta destinavit finibus, atque ob illos fines talem partium concessit conformatiōnem, ut ex ea, per nexus quendam causarum secundarum et naturalium, certi quidam profluant effectus, hanc ipsam tamen conformatiōnem, hosque nexus causarum in scientia naturali quaerimus, quos comprehendi et sciri a nobis posse, docet tot phaenomenorum uera et eidens explicatio. Semper tamen recurrendum ad potentissimum conditorem, cuius ex ipsa illa effectus cum suis causis necessariis copulatione, summa elucet maiestas et sapientia, quae etiam ultimus omnis nostre cognitionis physicae scopus debet existere. Tota enim

C

enim operum naturalium , et effectuum , qui in sensu nostros cadunt , pene innumerorum farrago , est loco argumenti amplissimi proposita , in quo labore ingenia humana et suas periclitari vires possunt , ita ut etiam in his terris stupendam supremi Creatoris gloriam clarius distinctiusque , quantum tam patitur nostra humanitas , contueantur . Quantum uero ad eos effectus attinet , in quibus nexus ille non perspicitur , quo sane pars maxima phaenomenorum naturalium est referenda , in illis , quamuis in praesens nondum causae pateant , ulterius tamen est laborandum , ut detegantur ; sufficere enim nobis potest , quod uiam habeamus aliunde cognitam , qua , in indagatione ueri in physicis rite est incedendum . Quod tandem mechanicae demonstrationes ad atheismum animum nostrum non inclinent , ex dictis iamiam uberrime constabit . Si enim , monente Paulo , τὰ δόγατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου , τοῖς ποιμανοῖς , νοούμενα καθορᾶται , nulla sane methodus ad hanc metam consequendam est aptior , quam si mechanicas experimentorum rationes , adeoque intimos narrae recessus perquirere et scrutari penitus , fabricatoresque tantorum operum potentissimum demisse uenerari , connitamus .

III.

Dicendum nunc de eo quod uocatur Geometricum , quodque mehanico in praesenti opponitur . Geometriae quidem nomen γεωμετρία sive ridiculum iam olim

olim dixit Plato in Epinomide T. II. Opp. p. 99c.
minime enim omnium scientiae, quam denotat,
diffusissimae amplitudinem capere aut significare po-
test. Quoniam uero ad dimensionem terrae, in cui-
ius gratiam omnino prima Geometriae principia fu-
erunt inuenta, sub initium fuit a suis autoribus ad-
hibita, hinc ferre aequo animo possumus, ut vox
angustissima originem tractationis amplissimae refe-
rat; neque enim, ut cum *Nicol. Mercatore* ex Introd.
ad Geom. loquamus, designatur disciplina ortus su-
os, modo rite explicetur definitio rei significatae. Or-
dinarie imponitur hoc nomen alteri purae mathe-
eos capiti, quod de quantitatis continuae dimen-
sione praecepit, latius uero totam mathesin puram
et abstractam adeoque scientiam μετρητὴν seu μεγεθο-
μετρίαν complectitur, quae, quomodo omnium quanti-
torum dimensiones suscipi debeant, edocet; itaque
nobis illae omnes demonstrationes uocantur Geome-
tricae, quae in mathematicis argumentis ex prin-
piis certis ac euidentibus fluunt, quaeque ex ratio-
ciniis iustis componuntur, siue in pura, ubi prae-
cipue habentur, siue in applicata matthesi occurrant:
et de harum ostensionum, methodique, qua coor-
dinantur, natura, supra iamiam satis actum est. Ef-
fectio uero uel constructio geometrica nominatur
praxis eiusmodi, quae ex certissimis fundamentis de-
pendet, et secundum praescriptum geometricarum
demonstrationum peragitur, cuiusque ueritas ex il-
lis potest manifesto euinci. Ita, qui hexagonum con-
structurus radium peripheriae datae assumunt, in

C. 2

illam

illam sexies transfert, geometrica ratione hanc figuram producit, quia ex geometriae elementis potest illius ueritas demonstrari. Huc referenda praecipue sunt locorum geometricorum praxes, pro confi-
endis problematis geometricis indeterminatis.
(*) Nam etiam illas geometricas censendas esse, ex obseruationibus num. II. allatis perspicuum est, si e-
nīm lineae illae curuae, quibus effectio peragitur,
existunt geometricae, si earum natura constructio-
nen aequationis suppeditat: ea ipsa constructio, ex
geometrica ostensalineae proprietate fluens, erit no-
minarique debet geometrica. Detur exempli loco
aequatio construenda $y^2 = ax$ uel $y^2 - ax = 0$ in qua
indeterminatae duae sunt y et x harum utraque de-
finietur protinus, si assumta parametro a , constru-
atur parabola, et in hac x quomodocunque pro lu-
bitu in axi determinetur, hoc ipso necessario cognoscetur $\tau\circ y$, nempe semiordinata extremitati abscis-
sae

(*) De locis simplicibus et planis legatur *Francisci a Schooten Exercitationum math. Liber III.* qui Apollonii Pergaei loca plana restituta complectitur, addantur *Io. de Witt.* elementa curvarum cum geometria Cartesii iunctim edita, Lib. II. p. 243. sqq. in eo enim et planorum et solidorum locorum tra-
stationem agrefsus est. De organica Conicarum sectionum in plano descriptione, quae similiter inter geometricas effectio-
nes numerari deber uid *Schootenii Exerc. L. IV.* p. 303. sqq. conferatur organi uniuersalis, pro omnibus illis conicis designan-
dis, reperti, explicatio data ab auctore *Francisc. Barocio* in
Admirando Geom. Probl. p. 29. sqq. emendata per *Riualtum*
a Flurantia not. ad *Archimed.* p. 233.

fae applicata: haec autem ita se habere inde colligo,
quia in parabola semiordinata potest, ut loquuntur,
rectangulam ex abscissa in parametrum. aut si

$$y^2 = \frac{bx - bx^2}{a} \quad \text{ubi similiter duae indeterminatae occur-}$$

runt, quaeritur talis constructio, ut, una definita, altera eo ipso habeatur. Cognita autem natura ellip-
ses, in qua quadratum semiordinatae comprehendit
rectangulum ex abscissa in parametrum, demo pri-
us alio, quod fit ex abscissa et quarta proportionali
ad axin, parametrum et abscissam: uel, uti alii defin-
unt, in qua quadratum semiordinatae, ad rectangu-
lum ex segmentis axeos, habet eam rationem, quam
parameter ad axin: poterit aequationem praefentem
construere, assumendo parametrum b axin mai. a nam
abscissa quelibet $= x$ et respondens semiordinata $= y$
et altera uel residua pars axeos $= a-x$ factum ab-
scissarum $= ax - x^2$ iamque quia $b:a = y^2:ax - x^2$
erit quoque factum extremorum aequale facto me-
diorum, nempe $ay^2 = abx - bx^2$ uel $y^2 = bx - \frac{bx^2}{a}$.

Sed in talium locorum constructionibus non inhae-
rendum singularibus exemplis est, quorum tractatio
reuera parum in praxi habet utilitatis. uerum com-
mendata sibi quique habere debet theorematum uni-
uersalia, quae omnes possibles constructionum ca-
fus, omnesque pro iis producendis necessarias lineas,
et loca uel terminos, unde duci debeant, uniuersalif-
fime exhibent. ubi saltem comparatione aequatio-
num singularium cum regulis opus est, ut aequipol-

lentium uel respondentium quantorum definitio innotescat, de quibus agunt *Io. Craigius* in *Tr. de Quadratura Curuarum* et *Marchio Hospitalius* in *Traité analytique des sections coniques*. Perspicue etiam illa omnia et solide tradit *Dn. Wolffus* *Elem. Anal.* p. 404. sqq. His ergo nunc expositis mechanicae opponuntur, et demonstrationes et constructiones, de quarum indole iam superius satis actum est. Vnum adhuc tenendum: nimirum mechanicas hoc loco sensu altero accipi; nam quamuis etiam in *Geometricis* instrumentis utamur, saepe minus exactis tamen non mechanicae, sed *Geometricae* illae operationes debent nominari, ob fundamenta et ueritates geometricas infallibiles, quibus innituntur.

IV.

Discriben adeo demonstrationum et effectuum geometricarum et mechanicarum in eo primario situm est, quod illae ex principiis et fundamentis indubii deductae necessariae sint, hae tantum ex probabilibus tentaminibus incertae et fallaces consequanrur. Dum v. c. circino arcum secamus in tres et similes partes, uel transportatorio eundem diuidimus, uel alias quoque minutias arcum tali instrumento capere studemus. Quando in astronomicis non calculo sed globo materiali problemata primi mobilis resoluimus ac demonstramus, ex geometricis poterat quoque huc referri Renaldiniana pro circuli peripheria diuidenda et polygonis illi inscribendis

dis methodus, quae non solum fallax est, sed et falsa,
uti ex instituto pecul. dissertatione A. 1700. Helmsta-
dii edita demonstratum dedit *Celeb. D. D. VVagnerus.*
alia exempla nunc taceo, quia in subsequentibus da-
bitur occasio plura adducendi in medium. Quan-
quam autem ex obseruatis facile est intelligere quae
differentia sit inter praxin, quae ope instrumenti ita
fit, ut fundamentum in re ac theoria habeat, et in-
ter eam, quae tale fundamentum non agnoscit, ta-
men uti discrimen illud definiatur melius, et quasi li-
mites eidem constituantur, sequentia adhuc monita
proferre libet. Pertinebunt uero potissimum ad ef-
fectiones et constructiones, nam de demonstrationi-
bus mechanicis alibi iam est explicatum, eas tantum
sub initium, et in eorum, qui ferre exactiores non-
dum possunt, gratiam valere, (*) atque tum cum
fructu ac successu transferri in usum posse. Obs. I.
operationes quaedam, quae Geometricas supponunt
demonstrations, possunt uideri minus accuratae, et
quasi mechanicae. Comprobatur id perpetuo pra-
cticis matheſeos applicationibus, idemque uno fal-
tem alteroque exemplo declarabo. Si in Geodesia,
instrumentis satis accuratis u. c. organo geometrico,
quod gradus, graduum dimidijs, uel quartas quoque
partes monstrat, angulos capias, si lineas noscendas,
quanta potest fieri diligentia, metiariſ, si deinceps
figuram non mechanice in charta designes, sed cal-
culo trigonometrico inuentionem incognitorum
quan-

(*) In diff. de Vſu inductionis in arte analytica num. 2.

quantorum persequaris, fere tamcn semper aberratur a uero plus minusue, prout instrumenta magis minusue exacta sunt, uel etiam ipsa effectio suscepta fuit cau-
tius. Idem eueniet, si geodaetica utaris mensula, et
per compendium problemata soluas. Quamuis au-
tem utraque praxis uocari geometrica possit, quia
certa fundamenta, et exactam per demonstrationes,
quantorum talium desideratorum definitionem agno-
scit et supponit: nihilo tamen minus praxis non suc-
cedit ex uoto, imperfectaque manet, ob instrumen-
torum uitia, quae sola nominari possunt praxium
minus feliciter absolutarum obstaculum. Solicite igitur
inter theoriam et praxin mathematicam distin-
guendum est, illa infallibilis summeque euidens ac
certa, haec ut plurimum et tantum non semper dubia
ac imperfecta existit: si nempe ad rigorem theoriae
et demonstrationis sumnum exigatur. Quoniam
uero theoria et contemplatio praxeos quoque causa
tractatur, opera danda est, ut exercitatione diutur-
na comparetur, quaedam promittudo dexteritasque
operationes accuratius et felicius instituendi: uti et
imperfectio organorum, quantum licet, emendetur,
et modi, ceteras quoque superandi difficultates in
praxi occurrentes, detegantur. Nam praxis colen-
da ob necessitatem, ita tamen ut, si facultas datur,
Geometrica ratio, mechanica neglecta, adhibetur,
bene notante *Christophoro Claudio*, Geom. Pract. L. IV.
c. II. p. 169. Obf. II. Contra ea mechanicae construc-
tiones saepenumero sunt meliores geometricis, uel
minimum aquae in praxi accuratee uidentur: satis
hoc

hoc experimur in analyticis, quando ex praescripto et lege , inuentarum per calculum literalem regularam , quaedam instituenda est effectio. Ita si duae mediae proportionales continue tales, inter alias datas, u. c. pro duplicando cubo , duo latera continue proportionalia , inter latus cubi et eius duplum desiderentur , possunt omnino circulus et parabola iunctim, secundum regulam Bakeri centralem , uel combinatio duarum aliarum curuarum, resolutioni problematis, nec id usque adeo difficulter , satisfacere. Peracta tali resolutione uere geometrica , tentetur idem, si placet , numeris, et uel simpliciter , pro duplicando cubo , cubus datus duplicetur , et extrahatur radix cubica per approximationem , haec tandem satis euadet accurata , et usque ad exilissimas minutias, magnitudinem lateris cubi dupli , ex scala exactius definiendam , manifestabit. Vel si ingenerre duae mediae proportionales inter datas quaerantur, post geometricam constructionem praemissam , conuertantur lineae in numeros, scalae auxilio , et prioris minoris quadratum multiplicetur per maiorem, atque ex producto extrahatur radix cubica, quae definit primum proportionalium: hic iterum ducatur in ultimum, et ex facto educatur radix quadrata , quae alterum proportionalium numerum dabit. (*)

D

Cum

(*) Tentari quoque idem posset lineis, mechanica Platonis, Heronis aut alius ex veteribus (quorum effectiones describit Eutocius Comment. in L. II. Archim. de Sph. et Cyl. p. 15. sqq.) methodo adhibita, nam illa etiam nostrae obserua-

Cum igitur approximatio haec pro lubitu continuari longius possit, apparebit tandem, hanc determinationem mechanicam, illi, quae per locorum geometricorum combinationes fit, minime cedere, imo in certis quandoque casibus, ubi per ambages difficiles quae nos facile in errorem ducunt, constructiones locorum, institui debent, esse multo commodiorem atque exactiorem. Idem igitur de constructionibus per loca geometrica tenendum. At-tamen manet etiam his sua laus, nec plane contemnenda est, quam in iis amplificandis adhibent artifices, industria, quoniam, sicuti utiliter monet *Excell. Dn. Consil. Wolfius* Elem. Analy. §. 565. geometricae aequationum constructiones fere in praxi nullius sunt usus, cum eidem satisfaciat methodus extrahendi radicem per approximationem: faciunt uero ad exercendam ingenii uim, et recludendos inuentionum fontes. Non sola autem analysis eius modi abundat exemplis, quae nostram confirmare propositionem possint, uerum omnia ferme matheseos capita talia nobis offerunt. In opticis puncta coitionis radiorum et imaginum, loca obiectorum per microscope considerandorum, aperturae uitrorum, distantiae eorundem et similia omnino mechanice, uaria tentando, donec accu-

onis ueritatem abunde comprobabit. Ceterum illud obiter notandum adhuc est, ueteres et eos inter *Plutarchum in Marcelllo* folios suisse Problema Deliacum uocare τὸ ἀλογον, quia tantum eorum iudicio per instrumenta, et lineas, quas mechanicas iudicabant, resolutio sine lege et ratione certa absoluuntur. Sed de reipla supra actum est satis.

accurate terminum desideratum obtineas, deteguntur melius, quam si ipsis sequaris demonstrationes. Nam nec una eademque uitrorum, nec radiorum, nec oculi inspiciens et similius circumstantium rerum conditio est, cuius tamen conformitas et absolute conuenientia debet ipsis demonstrationibus quasi praestrui. Idem in musicis, (*) mechanicis architectonicis, et cognatis capitibus debet attendi. Obs. III. omnes demonstrationes, quae instrumentis fiunt, sunt mechanicae, quemadmodum antea fuit expositum, at enim uero constructiones, in quibus organis utimur, omnes minime possunt mechanicae cognominari: etiam si etiam ipsae radiores et minus exactae fuerint. Nam in demonstrationibus requiruntur principia certissima et infallibilia, ex quibus ueritas raciociniis legitimis ac connexis ordine ostendatur, quam ob causam etiam omnis παραλογισμὸς uitandus, summusque certitudinis et evidentiae rigor sectandus est. Quicquid adeo eum

D 2

non

(*) Quamus enim soni sub dimensionem mathematicam cadant, et determinari secundum certas proportiones queant, nam secundum Platonem Epinomid. T. II. p. 978. τὰ κατεῖ μουσικὴν πᾶσαν, διαιρέθμουμένων, κανόσεως τε καὶ Φθόγγων δὲ. tamen plus in his sensuum iudicio, quam theoriae et proportionibus mathematicis tribuendum est. Vnde iam olim Pythagorae sonos omnes secundum rigorem proportionum iudicanti se esse opposuerunt Aristoxenus Tarentinus, Didymus atque alii, contendentes, aures in musica praeceps esse consuendas. conf. Bonnet Histoire de la musique et de ses effets, depuis son origine jusqu'à présent p. 9.

non assequitur, demonstrare haud ualeat ueritatem, daturque, si organa in auxilium uocentur, magis $\epsilon\eta\theta\sigma\tau\alpha$ quam $\alpha\pi\delta\alpha\zeta\kappa$. fabrica autem et praxis, quae ordinarie organo perficitur, geometrica tamen manet, si modo leges, quas sequitur, geometricae existant. Obs. IV. mechanicae constructiones non semper faciliores et compendiosiores sunt geometricis. In illis enim saepe itur per ambages taedii plenas, quae non raro prudenter possunt declinari, si geometricae methodi notitia suppetat. Exemplum Deliaca etiam quaestio offert, quae per circuli et parabolae, uel circuli et hyperbolae inter $\alpha\tau\omega\pi\pi\tau\alpha\tau\alpha$, combinationem, simplicem admodum et breuem facilius, quam quibusdam modis mechanicis resoluitur. In demonstrationibus uero, ubi facile, non id, quod per compendium et breuiter fit, sed illud, quod uere ac euidenter ab animo nostro promte potest intelligi, iudicatur et appellatur, omnino nulla $\alpha\pi\delta\alpha\zeta\kappa \mu\chi\alpha\nu\kappa$ facilis, hoc sensu, uocari meretur. Nam mens, quando rationes, quibus conuincatur et illustretur, uidet nullas, dubia haeret perpetuo, et distinctum de proposita re conceptum formare nequit. De operationibus ergo sentiendum cum Pardiesio, qui opp. mathem. p. m. 219. ed. lat. iudicat, simplicissimam operationem et certissimam, pro doctissima et magis geometrica tendendam esse. Obs. V. A mechanicas demonstrationibus et affectionibus uniuersa uidentur ortum suum duxisse mathemata. Nam geometria in Aegypto coepit, inundatioque Nili ad compendia metiendi agros, eademque in principio rudia et mechanica ex cogitan-

cogitanda, homines compulit. Phoenices mercatores alterius partis purae mathefeos, nimirum arithmeticæ, cultores industriæ perhibentur. hi procul dubio tantum practicas qualescunque discretorum quantorum tractationes et inuentiones, minus utique sub initium elegantes et accuratas detexerunt, donec omnia certiora, ampliora atque accuratiora posteris temporibus euaderent. Liceat hanc obseruationem, quae est *Procli Diadochi* propriis eiusdem uerbis declarare. ita autem scribit. Lib. II. comment. in l. El. Eucl. p. m. 19. ed. Gr. Basil. ἐστι δὲ χεὶ καὶ τὰς ἀρχὰς τῶν τεχνῶν, πρὸς τὴν πάροδον τεχνῶν, σκοπῶν, λέγομεν, ὅτι παρὰ Ἀργυρπτίοις μὲν ἔνερθμα πρῶτον ή γεωμετρίᾳ, παρὰ τολλῶν ἴσορεται, ἐκ τῆς τῶν χωρῶν ἀναμετέρτειας λαβούσα τὴν γένεσιν, ἀναγκαῖα γάρ η ἐκείνοις αὐτὴν, διὰ τὴν ἄνοδον τοῦ νείλου τοὺς προσήκοντας ἐκάστοις αἴθανιζοντος ὄρους. (*) Καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν, ἀπὸ τῆς χρείας ἀρχαδας τὴν ἔνεσιν, καὶ ταῦτης καὶ τῶν ἄλλων ἐπισημῶν ἐπειδὴ πᾶν τὸ ἐν γενέσει Φερόμενον, απὸ τοῦ ἀτελοῦς πρὸς τὸ τέλειον πρόσεστον, ἀπὸ αἰδηθῆσεως ὅντις λογισμὸν ή μετάβασις γένοιται εἰπότως. Μέπεις οὖν παρὰ τοῖς Φοίνιξι διὰ τὰς ἑυπορείας καὶ τὰ συναλλάγματα τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν η τῶν ἀριθμῶν ἀκριβῆς γνῶσις, οὕτω δὴ καὶ περὶ Ἀργυρπτίοις γεωμετρείᾳ διὰ τὴν εἰρημένην αἵτιαν ἕυρηται. Obs. VI. Quoniam, si supponans lineam quandam rectam in 3. 5. 7. etc. aequantonans sectam, et super ea triangulum aequilatelles partes

D 3

rum

(*) Consentit *Plato* in *Phaedro* T. III. opp. p. 274. ep. Serran. qui Theuto aegyptio et arithmeticæ, geometriae et astronomiae inuentionem tribuit.

rum geometrice constitutum, potest quaevis alia in similes totidem partes diuidi, nimurum illa in latera trianguli dati, si capiant, fin, in eorum continuacionem, translata, ductaque alia, quae puncta intersectionum connectit, et designatis rursum quibusdam ex uertice, intersectiones baseos penetrantibus, quo ipso, etiam altera basi parallela ob triangulorum ex illis designationibus ortorum similitudinem, secaretur in totidem et similes partes, in quas fundamentalis altera fuerat secta; quaeritur, utrum illa sectio lineae nominari possit geometrica, si fundamentalis tantum instrumento in aequales eiusmodi portiones fuit distincta? Hanc ad quaestionem non erit difficilis responsio, si modo casus distinguantur. Nam 1. si diuisio lineae, quam uoco, fundamentalis, facta est instrumento circini, ea lege, ut a linea indefinita tres quinque septem, uel similes partes aequales demtae sint, quoniam axiomatis instar in praxi sequens habenda est propositio: quod non mutata circini apertura, positaque linea in plano designata perfecte recta, prodire per iteratas assumptiones debeat partes aequales, tam accurate quidem, quam potest in tali operatione desiderari; hinc quando licet talem diuisionem, quae fundamento cuidam inititur, existimare geometricam, erit etiam altera certa et geometrica. 2. Si uero prior, definitae quantitatis, tentando saltem et incertius fuit diuisa, quia hic modus fallax et dubius est, non tolletur uitium per accessionem sectionis geometricae, ipsaque praxis mechanica saltem non geometrica dici censerique debet.

NE

NE PAGELLAE VACENT,
SEQVENS ADDAM

EIIIMETPON.

Georgii Christophori Eimmarti, Astronomi dili-
gentissimi, conjecturae, quas in ichnographia
noua contemplationum de Sole, in defola-
tis antiquorum philosophorum ruderibus
concepta, et Ludou. XIV. Gall. Regi dicata, propo-
suit, quaeque eo spectant, ut solis globum, in ae-
reum simulacrum, primigeniam quaque uersum re-
torquens lucem, conuertat, statuatque adeo ipsum
solem in Systemate planetario natura sua inuisibilem,
quemadmodum in se ualde incertae et obscurae sunt,
ita quoque nullum, ut uerbis auctoris utar, praeſidi-
um ex ea capiunt experientia, quando transmissa
per telescopium in cameram obscuram, exceptaque
palno quodam solis imago, aequali ubiuis perfusa
lumine conspicitur. Quod enim arbitratur lumen
debere in medio, quam in extremis, auctius et co-
piosius comparere, si figura corporis solaris globo-
fa existeret, nulla necessitate ex prioribus conse-
quitur. Nam 1. manifestum est, paucos illos ra-
dios, qui e tam immanni ad nos ueniunt, distantia,
non posse prominentem, atque sic e suo medio ua-
lidius et copiosius lucidas lineas euibrantem, por-
tionem, uiuaciore in pictura lumine fistere. 2. Ac-
cedit, quod experimentum ipsum aliter aliis uisum
fuerit; Zahnius Ocul. Artif. Fund. II. Synt. III. c. XII.

p. m.

p. m. 229. palam testatur, sibi lucis claritatem intensiorem in medio, et remissiorem in extremis per eandem solis obseruationem, fuisse repertam. Possem quoque meam, si qua est, interponere fidem. Sed fateor, me non adeo sensibile claritatis discrimen, post accuratius exceptam solis speciem, notare potuisse. Attamen id obseruauit Iaepius, lentem unam utrinque conuexam paulo ampliorem, Soli situ parallelo obuersam, unitis in suo foco radiis, sistere solis speciem minorem, splendidioremque in medio, quam prope peripheriam. Vt alia ergo silentio inuoluam, fatis iam apparet ex his, auctorem sententiae memoratae, ex eo, quod nunc declarauimus, phaenomeno, nullum idoneum argumentum extorquere posse.

M. Θ. Δ.



ULB Halle
005 121 825

3



Wilh. Folger
Buchbinderei
Sallo s. S., Dr. Ritterstr. 8

Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Purple

99

D. I.

AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII

DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI

DE

**DISCRIMINE
DEMONSTRATIONVM
ET CONSTRVCTIONVM
GEOMETRICARVM ET
MECHANICARVM**

PRAESIDE

IOAN. FRIDER. VVEIDLERO
INFER. MATHEM. PROF. ORD.

PVBLINE DISSERET

SAMVEL GOTTLIEB RICHTERVS
FINSTERVVALDA-MISNICVS

PHIL. ET THEOL. STVD.

A. cIo Icc XVII. D. XXI APRIL

VITEMBERGAE,
LITERIS SAMVELIS CREVSIGIL.

1777